



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1656**

§. 260. Et deponens eum inuoluit. v. 46.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

§. 259. *Ioseph autem mercatus sindonem.* v. 46.

Verba clara, clarum important documentum, ne res licitas illicitis modis agendi inquinemus. Bonum erat & sanctum opus petere corpus Domini Iesu, illudque sepelire, bonum erat etiam pro sepeliendo sindonem vel propriam adhibere, vel suo aere aliquam comparare. Malum vero fuisset sindonem huiusmodi rapere vel furari, aut extorquere. Talia tamen quidam fatue agunt, qui bonum finem & materiam tractantes, illicito tamen modo bona agunt, & ut in proverbio est, corium furto acquirunt. calceos propter Deum parant, & ex misericordia dant egenis. Non sunt hi Ioseph, non sunt accrescentes, sed decrescientes.

**D**Eus meus, largire fidelibus suis, ut non solum bona agant, sed etiam eadem recte tractent, iuste, prudenter, sobrie, pie. nemo propter pacem obtinendam mentiat, nemo pro fide persuadenda figmenta confarcinet, aut vim inferat, nisi subditis sibi. nemo, ut alius bene valeat, suam valetudinem bibendo nimium lædat, nemo ut Ecclesiam reformet, totam religionem proturber. nemo ut amorem obtineat, utatur maleficijs &c. verbo qui sindonem desiderat, pecuniam exponat.

§. 260. *Et deponens eum inuoluit.* v. 46.

Dignus fuit plane vir iste qui esset decurio. nam reuera sedulum fuisse apparet, grauiterque laboriosum. ecce accedit ad Pilatum supplicans, accersitus centurio, & eo audito obtinet votum, emit sindonem, veluti avis expedite volans est in Caluariae monte, deponit, inuoluit, & hæc omnia vna hora.

**Q**uot homines hæc agendo integrum diem insumpissent! quot homines hæc agendo fabulis hic & ibi intermixtis hæsisissent! Verè non solum accrescens erat iste Ioseph, sed & accelerans. Qui huiusmodi sunt, digni sunt qui ad officia promoueantur, scriptura teste, quæ expeditos in opere coram Regibus stare dignos asserit.

§. 261. *Sindone.* v. 46.

Sindon, non cuiusuis lini tela est, sed tenuissimi, seu ægyptij, quod Dicrosson vocant. alij pretiosam vocant, & ab aulis Aulicam. Placet tam pretioso inuolutum fuisse pretiosum corpus, nempe perspicuo pene operimento. de quo accipio à fide dignis scriptoribus & testibus, 12. palmos longum, tres latum fuisse. imo corporis Dominici & anteriorem & posteriorem figuram impressam hodieque seruari, vna quidem parte in Italia Taurini, altera in Burgundia Vesontione. Ego hanc sanctam sindonem at-